



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Confeßio omnipotentis Dei, & majestatis ejusdem, 12

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

CAPVT X.

Oratio serui Dei, de se humiliter sentientis.

I. **S**Cio Domine, scio & fateor, quod non sum dignus quem tu diligas, sed certe tu non es indignus, quem ego diligam. Indignus quidem sum tibi seruire; sed tu non es indignus seruitio creaturæ tuæ. Da ergo mihi Domine, unde tu es dignus; & ego ero dignus, unde sum indignus. Fac me, quomodo vis, à peccatis cessare, ut quomodo debeo, possim tibi seruire. Concede mihi sic custodire, & regere, & finire vitam meam, ut in pace dormiam, & in te requiescam. Præsta mihi in finem, ut me excipiat somnus cum requie; requies cum securitate; securitas in æternitate. Amen.

CAPVT XI.

Oratio ad sanctam Trinitatem.

I. **T**E Deum Patrem ingenitum: te Filium unigenitum: te Spiritum sanctum paracletum: sanctam & individuam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus; tibi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XII.

Confessio omnipotentis Dei & maiestatis eiusdem.

I. **O** Summa Trinitas virtus una, & indiscreta maiestas; Deus noster, Deus omnipotens, confiteor tibi ego ultimus seruatorum tuorum, & exiguum membrum Eccle.

Ecclesiam tuam confiteor tibi, & honorifico te, debito sacrificio laudis pro scire & posse, quod mihi tantillo donare dignatus es. Et quia exteriora mihi munera desunt, quae possim offerre; ea quae in me sunt vota laudationis, ex dono misericordiae tuae, ecce libens atque ovans offero tibi, de fide non ficta, & conscientia pura.

2. Credo igitur te toto corde Rex caeli & terrae Domine, & oro te; confiteor Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in personis trinum, & in substantia unum, verum Deum omnipotentem, unius simplicis, incorporeae, invisibilis, & incircumscriptae naturae, nihil te superius aut inferius maiusve aliquid habentem, sed per omnem modum sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio verum, sine situ ubique praesentem, sine loco ubique totum, sine extensione omnia implentem, sine contradictione ubique occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu intra omnia manentem, sine indigentia omnia creatam, sine labore omnia regentem; sine tui initio, omnibus initia dantem; sine tui mutatione, omnia mutabilia facientem: In magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inestimabilem, in consiliis terribilem, in iudiciis justum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum,
erga

erga delinquentes patientissimum, erga pœnitentes piissimum: semper id ipsum æternum ac sempiternum: immortalem atque incommutabilem, quem nec spatia dilatant, nec brevitās locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant; nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec lata demulcent. Cui nec oblivio tollit quicquam, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit: sed ante sæcula, & in sæculis, & per sæcula in æternum vivis: & est tibi perennis laus & æterna gloria, summa potestas & singularis honor, perpetuum regnum, & sine fine imperium, per infinita & indefessa & immortalia sæcula sæculorum.

CAPUT XIII.

*Qualiter generi humano dignatus est subvenire
Deus Pater, & de Verbi incarnatione,
& gratiarum actione.*

I. **H**ucusque omnipotens Deus, cordis mei inspector & scrutator, confessus sum omnipotentiam Majestatis tuæ, & Majestatem omnipotentia tuæ: nunc autem qualiter humano generi subvenire dignatus es in fine sæculorum, sicut corde credo ad justitiam, ita ore coram te confiteor ad salutem. Tu quidem Deus Pater solus, nunquam & nusquam legeris missus. De filio autem tuo ita scribit Apostolus: Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.